



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

15 Feb. 15 Kal. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

munerum, laxaretur.

B. Christina, inter orandum visa splendidissimis radiis collucere : quam in morte invisens Deipara, ad Christi sponsi thalamum, ad gloriam invitavit.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 44.

S. MARIA, qua morienti hodie tua Catharinæ V. Spoletina adfuisti. Fac me dignum, quem morientem juves; ne peream!

S. MARIA, quam pro quodam orans S. Stephanus hodiernus, effecit, ut qui captus fuerat, solveretur; ii autem, qui eum ligaverunt, ligati, ad portam cœnobii, divinitus sisterentur. Solve vincula reis, internis, & externis, sensibus meis!

15 Feb. 15 Kal. Martii.

SAncti Faustine, & Jovita, fratres, acerbissimis tormentis gloriosi, à bestiis, & flammis immunes, è mari per Angelos erepti, securi percussi. Vobis, in carcere, sacratissimam Eucharistiam ministrantibus, Angeli ministravêre. Orate, ut ego, & vos, & Angelos, habeam adju- tores, & sanctissimo viatico sanctè munitus, ex hoc carcere non eam

L 7 ad

ad supplicium æternum; sed ad illam, quam Christi, & vestro vobis sanguine, ac doloribus emisistis, immortalitatem. Amen.

S. Decorose Ep. qui, inter descendendum ad oves pascuæ tuæ, collapsus, ad aram delatus, ibi expirans, magno sensu dixisti: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, cuius magnitudinis non est finis!*

S. Anthilia, Imperatoria Virgo, quam decennem S. Donatus à dæmone dirissimo liberavit: quæ carnificata, & ab Angelo restituta tyrannum irrisisti: cuius tenerum caput, resectum à corpore, suo iterum loco aptè repositum divinitus, ad circumstantes multa dixit de fide, de S S S. Trinitate.

S. Craton, unâ cum uxore, & universâ familiâ, Martyr.

S. Agape V. Martyr.

Sancti Saturnine, Castule, Magne, & Luci, MM.

S. Quinidi, cuius mortem, in conspectu Domini pretiosam, miracula crebra testantur.

S. Antoni de Paduâ, hodie translate, ad cuius tumulum quidam, pro Urbe ab hostibus vexatâ, orans, vocem è tumulo tuo audivit: *Deo gratias, Civitas liberata est; & hostis fugit:*

fugit: cujus linguam, post duos & triginta annos recentem, corrupto reliquo corpore, videns S. Bonaventura, beatam dixit linguam, quæ non nisi de divinis novit texere sermonem!

S. Veronica, hoc die in Aquitania celebrata, quæ sudario tuo, Christi, Crucem bajulantis, faciem extergens, mirabilem nobis ejus in illo imaginem reliquisti: ora JESUM, ut illuminet vultum suum super me; cujus vultus, in velo tuo expressus, ægros varios, gibbosum, energuménosque sanavit.

S. Severe Presb. qui fufis lacrymis, Angelo ministro, defunctum revocasti ad vitam, ut melius moreretur.

S. Joseph Diacone.

S. Georgia, Virgo Deo devota, cujus funus Angeli, in columbarum specie, sunt honorificè profecuti.

S. Sigefride Ep. qui, hostiæ sacræ loco, in Sacro, parvulum JESUM elevare es visus.

S. Eufec, Eremita futor, quo moriente, in saxo, ubi habitabas, tria lilia sunt enata.

S. Berachi Abba, qui orando effecisti, ut terra arida acidulas, & salices

lices

lices poma salubria, agris producerent; ut pufillus corpore Bressenensium Regulus, post brevem somnū, se corpore procero conspicuum miraretur.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 44.

S. MARIA, qua, hoc die, brachium saucii cujusdam, & reliqua vulnera, pretioso unguento ungens, repente omnia persanasti. Sana mea vulnera: miserere saucia anima mea!

16 Feb. 14 Kal. Martii.

S. Juliana Virgo, quæ è capillis suspenfa, liquato are perfusa, sed illæsa, dæmonem, boni Angeli specie, mala suadentem ut vinceres, orasti, & auditâ è cælo voce, dæmonem illum tenere iussa, illum apprehendisti, quis esset? interrogasti; illo respondente, se esse *dæmonem Belial, amatorem luxuriæ ac dissensionum.* Illum ergò alligatum, verberatumque in forum duxisti, & in locum plenum sordibus abjecisti: ignem, ad quam damnata eras, piis lacrymis extinxisti; lebetem ferventis aquæ, precibus dirupisti; caput pro Christo dedisti. Ora pro me; ne me arte ullâ unquam